

ut praeter delegationem conferendi ordines, testimonium etiam tum de legitimis natalibus, aetate, moribus, aliisque dotibus, tum etiam de examine super doctrina, deque approbatione eisdem litteris contineatur. « An vero Episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur hujusmodi attestatiōni deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos iterum examinare : » celebre est dubium propositum S. Congregationi Concilii in causa NULLIUS 16 Januarii 1595, ubi responsum prodiit « posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestatiōni proprii Episcopi deferre, sed non teneri. » Non tamen expedit, ut Episcopus ad quem litterae dimissoriae datae sunt, de Ordinandi idoneitate periculum faciat, tum quia significaret Episcopi dimittentis iudicium sibi suspectum esse, tum quia contingere posset, ut unus et idem a diversis Episcopis approbaretur et reproberetur. At si Episcopus jure meritoque timeat, ne Ordinandus ad se dimissus aut illitteratus, aut indignus sit, procul dubio ab imponendis manibus abstinere debet, nisi primum Ordinandi doctrinam aut vitam probaverit, namque indignum ordinans peccatis alienis communicaret. Episcopus autem Suffraganeus quanquam non possit omnino illos examini subicere, quorum sibi ordinatio ab Episcopo Dioecesano commissa est, verumtamen, si causa subsit, et ipse potest atque etiam debet a collatione Ordinum abstinere : quod S. Congregatio Concilii censuit in causa Elboren. dubiorum diei 22 Augusti 1721.

At vero litterae dimissoriae, nisi ad tempus tributae sint, vi sua consistunt, licet aut morte, aut alio modo concedentis potestas intreat : qui tamen dedit, ejusque Successor datas litteras potest re adhuc integra revocare. De caetero satius est dimissorias litteras concedere certo definito tempore, intra quod ordines suscipi debeant, cum fieri possit, ut mores ordinandi post aliquod tempus immutentur.

§ 50.

DE ORDINIBUS GRADATIM CONFERENDIS.

In veteri Ecclesiae disciplina Majores Ordines interdum collati sunt omissis gradibus inferioribus, cum nimirum Clericus inferiori Ordini addictus, si altiore ordinem promoveri videretur, ad illum promovebatur, quin porro intermedio ordini initiaretur; nec talis ordinatio illicita habebatur, neque ordo qui deerat, supplebatur : qua de re confer Thomassinum de nov. et vet. Eccl. discipl. part. 1, lib. 2, cap. 25. Ad rem S. Thomas in supp. quaest. 35 art. 5 : « In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiore virtute, sicut sensus in intellectu, ducatus in regno. » Hodie vero ex capit. unico de Clerico persaltum promoti, et Tridentina Synodus sess. 23 cap. 14 de Reform., ordines gradatim conferendi sunt ab inferioribus ad superiores progrediendo. Qui praetermisso ordine inferiore ad majorem promovetur, veluti si Subdiaconus omissis Diaconatu Presbyter ordinetur, per saltum ordinatus dicitur, et ordinario hujusmodi illicita est, licet non sit invalida, « quia potestates sunt distinctae et una quantum est de sui ratione non requirit aliam in eodem subjecto » ait S. Thomas in 4^{um} distin. 24. q. 1 art. 2 q. 5. At si Episcopatus, omissis Presbyteratu, collatus sit, tum collatio et illicita et invalida habenda est; de quo supra diximus § XL. Itaque initiati per saltum ordinibus Episcopatu inferioribus accipiunt quidem ordinem, sed ab ordinis usu suspensi sunt, donec acta poenitentia, et suppletis ordinibus omissis, officium male suscepti ordinis ab Episcopo impetraverint. Verum ex Concilio Trid. cit. loco « cum promotis per saltum, si non ministraverint,

Episcopus ex legitima causa possit dispensare » namque si ministraverint, irregulares fiunt, et Summo tantum Pontifici facultas dispensandi reservatur.

§ 51.

DE INTERSTITIIS.

Ordines non modo gradatim conferendi, verum etiam inter unius et alterius ordinis collationem certa temporum spatia, quae *interstitia* vocantur, intercedere debent, tam ut Clerici in unoquoque Ordine sive minore, sive majore sese exercent, et paulatim virtutem acquirant Sacerdotio consentaneam, tum etiam ut in ordine suscepto diutius immorantes probari possint, num digni sint qui ad superiorem ordinem promoveantur. Interstitium, seu spatium quod inter Acolytatum et Subdiaconatum intercedere debet, est spatium integri unius anni, idemque temporis spatium in singulis majoribus Ordinibus servandum est. Sed interstitia inter Minores Ordines prudenti arbitrio Episcopi relicta sunt; quandoquidem Tridentina sess. 23 cap. 11 de Reform. sic habet: « Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. » Eadem quoque Synodus Episcopis permisit ut super Majorum Ordinum interstitiis dispensarent; sed ita quidem ut pro dispensatione interstitii Subdiaconatum inter et Diaconatum prudentem et rationabilem causam postulet « nisi aliud Episcopo videatur: » pro dispensatione inter minores Ordines et Subdiaconatum, aut necessitatem aut utilitatem Ecclesiae requirat « nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi illud exposcat: » et pro dispensatione Diaconatum inter et Presbyteratum, necessitatem et utilitatem Ecclesiae conjunctim poscat « nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur. » Episcopus autem suis tantum subditis interstitiorum tempora

contrahit. Quamobrem alienum Subditum cum dimissoriis litteris Episcopi proprii Ordinibus initiari nequit, interstitiorum tempore nondum exacto, nisi Episcopus proprius abs se concessam dispensationem in eisdem litteris declaraverit. Item subditis regularibus non ipsorum Praelatus, sed Episcopus Dioecesanus eam dispensationem largitur. Sed Episcopi potestas in contrahendis interstitiis non ita porrigitur, ut eadem die duo Majores Ordines, aut unus vel plures minores una cum Subdiaconatu conferantur. Minores autem, si Episcopo videatur, vel uno die conferre licebit.

§ 52.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

Gelasius Papa ep^a ad Episcopos Lucaniae cap. 11 Ordinationum tempora constituit: « Ordinationes Presbyterorum et Diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii ac mediana quadragesimae die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas. » Haec itaque tempora sunt jejunium quarti mensis, hoc est Junii, qui quartus est mensis a Martio, unde veteres Christiani annum inchoabant; et jejunium mensis septimi, hoc est Septembris: decimi hoc est Decembris, initium et medium Quadragesimae. Ex his quinque ad conferendos majores Ordines temporibus unum mutatum est, et unum additum, nempe ordinatio mediae Quadragesimae in Sabbatum ante Dominicam Passionis translata est, et Sabbatum Sanctum inter legitima habendae Ordinationis tempora relatum est, quod constat ex Alexandri III rescripto cap. 3 de temp. ordinat. « Ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum praeterquam Romano Pontifici licet aliquos or-

dinare. » Igitur ad Ordinationes constituta sunt tempora quae jejunando transigimus, quin imo quatuor temporum jejunium Ordinationis causa institutum est. Sed « licitum est Episcopis Dominicis et aliis festivis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere, » ut Alexander III respondit citato cap. 3 de temp. ordinat. in illa verba « unum aut duos promovere; » Glossa haec habet « Numquid plures? Utique, dummodo non videatur generalis ordinatio. » Quae interpretatio communiter recepta est. Clericatus autem sive prima tonsura quacumque die, hora et loco conferri potest.

Si quis autem Ordinibus Majoribus sine venia Pontificis extra tempora initietur, ex cap. 2 et 8 de temp. ordinat. Episcopus ordinans auctoritate ordinandi privandus est, et ordinatus ab officio ordinum suspendendus, donec a Summo Pontifice in suos gradus restituantur. At Gregorius IX cap. 16 eod. videtur permisisse, ut contra Canones extra tempora ordinati, si poenituerint, ex venia Episcopi qui ejus ordinationis nulla culpa teneatur, in susceptis ordinibus possent ministrare. Pius II autem extra tempora ordinatos ipso jure suspensos pronuntiavit, et Sixtus V ejus suspensionis relaxationem uni Pontifici reservavit, aliasque poenas et censuras contra Ordinantes et Ordinatos sancivit. Verumtamen Clemens VIII in sua Constitut. ROMANUM PONTIFICEM poenas a Sixto constitutas ad antiquos juris terminos revocavit.

In collectione Decretorum Congregationis S. Rituum haec habentur : « Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis; hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores? » Responsum est die 12 Novembris 1851 : « Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam, sed mane tantum. »

§ 53.

DE TITULO ORDINATIONIS.

Apud Scriptores ecclesiasticos Tituli vocantur Ecclesiae vel a titulis seu nominibus Sanctorum, quibus dicantur, vel ab ipsis Clericis, qui suum inde titulum et nomen accipiebant. Itaque titulus Ordinationis est Ecclesia, cui Clericus in sua Ordinatione adscribebatur, ubi propria sui ordinis officia obiret.

Ex antiqua Ecclesiae disciplina nemo unus ordinari poterat sine titulo, hoc est sine certa Ecclesia cujus ministerio addiceretur. Neque amplius licebat Clerico Ecclesiam illam deserere : idque si forte fecisset sine venia et litteris Episcopi sui, ab aliis Episcopis excipi non poterat, eoque unde discesserat, redire cogebatur; secus enim usu ordinum cadebat, et excipientes Episcopi excommunicabantur. Sed quemadmodum Clericum perpetuo in sua Ecclesia assiduum esse oportebat, sic etiam jus acquirebat ex redditibus ipsius Ecclesiae accipiendi quae pro ratione officii sui ad victum et cultum suppetent. Ergo titulus duplicem obligationem pariebat : Clericus obstringebatur ad serviendum perpetuo Ecclesiae, Ecclesia vero ad alimenta Clerico suppeditanda.

§ 54.

DE TITULO BENEFICII ET PATRIMONII.

Beneficiis erectis, eisque in titulum Ordinationis assignatis vetus Ecclesiae disciplina nonnihil immutata est, sed prorsus non interit; namque beneficia ecclesiastica quae residentiam postulant, et Clericum cujusdam certae Ecclesiae ministerio alligant, et jus tribuunt percipiendi fructus beneficii; aut si beneficia ejus generis sint, quae simplicia vocamus, etsi Cle

ricum perpetuo Ecclesiae defixum non teneant, ipsum tamen alicui spirituali officio addicunt, cum beneficium, ut aiunt, detur propter officium.

Cum vero plures Dioeceses ecclesiasticorum beneficiorum parum feraces, aliaque penitus destitutae essent, illud perspectum est, quod si unicus beneficii titulus reliquus esset, facile contingere poterat, ut aliquae Dioeceses spiritualibus auxiliis carerent, et idcirco factum est, ut Clerici propter Ecclesiae necessitatem aut utilitatem ad titulum patrimonii aut pensionis ecclesiasticae et perpetuae ordinarentur. Itaque titulus patrimonii per indulgentiam et dispensationem quamdam ad Tridentinis Patribus permissus est, cum nempe necessitas vel commodum Ecclesiae postulaverit; et proinde sublata est Decretalis Innocentii III in cap. 23 de Praebend. in qua pro arbitrio Episcoporum, nulla etiam necessitate vel Ecclesiae utilitate suadente, concessum erat Clericos sive ad beneficii, sive ad patrimonii titulum promovere, quod recte observat Fagnanus ad cap. 4 de Praebend. et Dignit. n. 24. Tum vero Clerici titulo patrimonii ordinantur non modo ut congruam sustentationem habeant, verum etiam ut Ecclesiae serviant, cujus utilitate vel necessitate ordinantur; et idcirco sive Clericus ad titulum Beneficii, sive ad titulum Patrimonii ordinibus initiatur, una semper ratio est, quamobrem ordinatur, scilicet Ecclesiae ministerium, cujus gratia ordines conferuntur.

Nemo ordinari potest quin titulum habeat, et Episcopus qui sciens et prudens sine titulo Beneficii, aut patrimonii, aut pensionis ordines conferat; cogitur honestum cultum et victum ordinato Clerico, donec titulum assequatur, suppeditare. Clericus autem, qui Episcopum decipit aut falso, aut simulato oblato titulo (quod praesertim in constitutione patrimonii committitur, cum ejus bona aut annui fructus pluris aestimantur quam reapse sint) a susceptis ordinibus suspenditur, quamdiu integrum et legitimum titulum exhibuerit.

Quia vero turpe et indecorum est, Clericos etiam in minoribus Ordinibus constitutos aut emendicare, ut sordido aliquo munere sibi victum comparare, ideo nec Clerici minores ordinandi sunt, qui carent titulo unde vivant; quod expresse tradit Glossa in cap. 2 de Praeben. et Dignit. Sed forsitan obeam causam, quod minores Clerici ab incepto desistere possunt, factum est, ut totum hujusmodi negotium arbitrio et prudentiae Episcoporum relinqueretur.

Sed oportet ut Beneficium, aut Patrimonium, aut Pensio honestae Clerici tuitioni sufficiat. Quanta vero fructuum copia honestae sustentationi sufficiat, ex Synodali taxa vel locorum consuetudine colligendum est. Cum autem taxa Synodalis aut consuetudo pro variis locorum moribus alibi major, et alibi minor sit, Innocentius XII, in sua Constitut. APOSTOLICI MINISTERII declaravit « sufficientiam hujusmodi praefiniendam esse non juxta taxam Synodalem, seu morem vigentem in loco beneficii, nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat, sed juxta taxam, vel ea deficiente juxta morem in loco domicilii vigentem. » Fructus autem per Synodalem taxam vel consuetudinem praefiniti ab omni onere vacui atque puri esse debent. Aut vero etiam onera Missarum detrahenda sint, ambiguum olim fuit, sed Congregatio Concilii eam rem conscientiae et arbitrio Ordinariorum relinquendam putavit: confer Benedictum XIV de Synod. Dioecesis. lib. 12 cap. 9. An vero hujusmodi fructus ex uno, an ex duobus Beneficiis obveniant, nihil ad rem interest, quin imo fructus Beneficii, si satis non sint, adjectione patrimonii in eo quod deficit, expleri possunt.

Denique necesse est: 1. ut titulus ordinationis pacifice et immobiliter possideatur, quia subsidium vitae Clericalis discrimini committendum non est, et idcirco bona et jura litigiosa, Vicariae et Capellanae ad nutum amovibiles in titulum conferri non possunt. 2. Ut fundetur in bonis stabilibus et certis: sic ad titulum constituendum non valent bona mobilia

et semoventia, neque proventus qui industria et honesto labore comparantur. 3. Ut eadem bona frugifera et stabilia nullo aere alieno gravata, nullaque hypotheca affecta sint; et si patrimonium in censibus constituatur, constituentibus in forma juris valida promittere et recipere debent, se Clerico, si census redimatur, copiam victus suppeditaturos, donec pecunia ipsius census aut in novis censibus, aut in fundis frugiferis colloceatur. Ad haec Tridentina Synodus sess. 21 cap. 2 de Reform. constituit ut Clericus « beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad istius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constituto quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. » Similiter ut ordinati ad titulum patrimonii vel pensionis « patrimonium illud, vel pensionem sine licentia Episcopi alienare, aut extinguere, vel remittere nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. » Quin imo decreto ipsius Episcopi opus est, quo aut beneficium, aut bona a Clerico adepta in locum prioris tituli subrogentur, etiamsi patrimonium constitutum sit ea conditione, « donec et quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico, aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat, quo casu eveniente patrimonium redeat ad constituentem absque ulla declaratione; » quandoquidem ea conditione non obstante semper prior titulus viget quoad Episcopus novum titulum subrogaverit, quod saepius Congregatio Concilii declaravit.

§ 55.

DE TITULO PAUPERTATIS ET MENSÆ COMMUNIS.

Praeter recensitos S^{ae} Ordinationis titulos qui ad Clericos saeculares spectant, unus adhuc vel alter titulus superest quo caeteri Clerici communem vitam agentes ordinari solent. Ve-

§ LV. DE TITULO PAUP. ET MENSÆ COMMUNIS. 91

rum ex his Clerici alii nulla vota nuncupant vel tantum simplicia, alii vero solemnibus votis in probata Religione profitentur. Posteriores ordinantur ad titulum Religiosae professionis, vi cujus abdicata rerum omnium proprietate vel ex redditibus bonorum si quae Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam indigent. Priores vero qui more Regularium in communi vitae disciplina degentes aut nunquam, aut ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro seu domo religiosa exire vel dimitti, atque ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis hujusmodi praetextu sine titulo Beneficii, patrimonii, aut pensionis nequeunt sacris Ordinibus initiari; quod sancitum est a S. Pio V, in sua Constitut. ROMANUS PONTIFEX, nisi speciali privilegio Apostolicae Sedis aucti sint, quo ad titulum ejus Congregationis cui nomen dederunt, et unde subsidia vitae percipiunt, promoveri possint; quod quidem privilegium Patribus Congregationis Missionis, aliisque Congregationibus concessum est, ut proinde ipsarum Alumni ad titulum Mensae Collegialis, aut Mensae communis vel Missionis ordinentur.

Ab hoc titulo multum distat *titulus mensae* simpliciter dictus, quo Principes, Comites, aliique Viri Nobiles atque etiam Communitates litteris patentibus se obstringunt ad praestanda honesta alimenta Clerico qui beneficio aut sufficienti patrimonio careat. Hic titulus non jure scripto, sed quadam consuetudine obtinuit in Germania, verum in Italia nostra non admittitur ex declaratione Congregationis Concilii in Florentina 28 Junii 1704.

Si quis autem postquam Ordinibus sacris ad titulum Religiosae paupertatis aut mensae communis initiatus est, ab Ordine Regulari vel Congregatione legitime recedat aut dimittatur, sacris operari non permittitur, donec sibi certum et sufficiens patrimonium comparaverit.